

## 1437 febr 7, Abdiſ Echternach, Wampach X-47

Archief abdiſ Echternach, Staatsarchief Luxemburg, 7-2-1437

Frater Johannes von Hoffenheim, Priester, Prokurator des Deutschen Ordens in Deutschland und Italien, verspricht, bis zum nächsten Osterfest und Pfingstfest dem Abt oder Dechant von Echternach näher bezeichnete Urkunden über das Patronatsrecht der Kirche von Gernerden (Gemerden) und die Einsetzung eines Vikars in Bakel (Backel) zu übergeben.

Echternach, 1437, Februar 7.

Abschrift saec. XVI in der HS. 29, 22b, fol. 45 - 46, auf dem Staatsarchiv zu Luxemburg (B). Überschrift: *Recognicio procuratoris dominorum Teuthonicorum* — (ein Wort unleserlich) — *de expediendis litteris*.

Zu vergleichen hierzu Urkunden— und Quellenbuch, IX, nr. 823, 824, 827, 828.

Publicatie: Wampach Urkunden- und Quellenbuch deel X, akte 47

Anno Domini M<sup>o</sup>CCCC<sup>o</sup> XXX sexto secundum stilum Treverensem, feria quinta post festum Purificacionis Marie in monasterio Epternacensi ego frater Johannes de Hoffenheim presbiter, professus et procurator hospitalis beate Marie Theutonicorum Jerosolimitani per Almaniam et Ytaliā, promisi ad manus notarii publici legitime stipulanti (!) sub pena mille florenorum Renensium in casu negligencie, quod absit, sub penis tamen Apostolice solvendorum, quod infra hinc et festum Resurrectionis Domini proxime futurum procurabo, presentabo seu presentari faciam domino abbati aut domino decano dicti monasterii Epternacensis litteras in forma necessarias et oportunas omnium subscriptorum roboratas sigillis reverendi patris domini Johannis episcopi Leodiensis, domini Theoderici moderni commendatoris in Junccis necnon dominorum commendatorum suorum. Item remittam infra hinc et festum Penthecostes proxime futurum similiter prefato domino abbati vel domino decano litteras approbacionis et confirmacionis omnium subscriptorum per dominum meum magistrum dicti hospitalis per Almaniam et Italiā generalem.

Et primo litteras recognicionis in feodum iuris patronatus et presentandi rectorem ad ecclesiam parrochiam in Gernerden edificandam cum applicacione decimarum spectantium ad rectorem sive pastorem aut personam ecclesie parrochialis in Bakel, ita licet quod dictus comendator pro se et successoribus suis huiusmodi edificandam ecclesiam et decimas applicandas in feodum recipiat a dicto domino abbate et successoribus suis et solitum prestat fidelitatis iuramentum.

Item quod dictus comendator et sui successores ratione dicti feodi vel emphyteosis singulis annis in festo Johannis Baptiste reddituario dicti monasterii per Brabanciam solvent unam libram cere.

Item quia altercacio oriri verebatur super huc usque per dictum dominum abbatem et suos predecessores infra limites dicte parrochialis ecclesie in Bakel perceptis, quare pro bono pacis et concordie dictus comendator pro se et suis successoribus expresse renunciabit omni iuri et accioni, si que quovis modo ratione dicte rectorie vel decimarum applicandarum sibi vel successionebus suis competere possent, ipsumque dominum abbatem et suos successores super hiis novalibus percipiendis quitabit.

Item si et quocies vicarium in dicta parrochiali ecclesia in Bakel instituendum agere contingat super competencia sibi facienda, ipse commendator et sui successores huiusmodi competenciam facient et expediant sine omni preiudicio et gravamine dicti domini abbatis et suorum successorum ipsosque indemnes et illesos racione huiusmodi competencie faciende conservabunt. Insuper promisi quod si magister Heinricus Raskopp rector dicte ecclesie in Bakel consensum suum expressum ad ecclesiam parrochiale in Gernerd edificandam non prestabit vel dictam ecclesiam in Bakel non resignabit. quod tunc litteram consensus super huiusmodi edificanda ecclesia per dominos abbatem, decanum et camerarium dicti monasterii michi traditam salvam et illesam .infra hinc et dictum festum Resurrectionis Domini ad manus alterius eorundem remittam et restituam in omnibus et singulis premissis fraude et dolo penitus seclusis et cessantibus.

Frater Jo(hannes) de Hoffenheim manu propria conscripsi tamquam procurator generalis dicti hospitalis per Almaniam etc.